

non remittitur, ita neque pars ista ante absolutionem potest ad effectum suum sacramentalem pertingere. Denique si contritio, pars potior, effectum suum ex opere operato ante absolutionem non obtinet, quanto minus satisfactio, pars integrans duntaxat? Si quem ergo remissionis poenae effectum nondum data absolutione adipiscitur, adscribi is operi operantis debet.

Inst. 2. Absolutio tollit ex opere operato omnem peccati maculam; ergo si satisfactio remissionem poenae tanquam peculiarem sibi praestet effectum ex opere operato, quaelibet injuncta a sacerdote satisfactio omnem poenae temporalis reatum tollit, perinde ac indulgentia plenaria a summo Pontifice concessa; cum uterque faciat totum quod potest.

R. N. Cons. Peccati lethalis macula non potest tolli, nisi tota simul: gratia enim aequaliter peccatis mortalibus omnibus et singulis adversatur. Haec autem absolutionis gratia totum peccatum remittens immediate a sacerdote confertur. E contra sacerdos non immediate tollit reatum divisibilem poenae, sed mediante imposita satisfactione divisibili, per poenitentem peragenda. Eodem modo cum Pontifex per indulgentias immediate reatum omnem tollit, opus injunctum se habet ut mera conditio; cum tamen sacramentalis satisfactio sit causa remissionis poenae.

Inst. 3. Deus reliquit sacerdoti potestatem commutandi poenam purgatorii in satisfactionem impositam; ergo qui sustinendo poenam a iudice impositam, praestitit satisfactionem, nihil debet amplius. Ita Glossa in c. *Mensuram*, de Poenit. d. 4.

R. D. Ant. Deus dedit hanc potestatem sacerdoti servata justitiae proportionem C. ut suo arbitrio disponat N. Deus non fecit sacerdotes dominos, sed iudices; ratio vero iudicii aequitatem postulat. Igitur cum reatus sit finitus, dabitur satisfactio, quae eum exaequet, aut etiam excedat.

246. *Obj. II. cont. 2^{am}. concl.* Per unum sacramentum non datur nisi una gratia sacramentalis, ac praesertim in hoc sacramento non confertur alia gratia quam remissiva peccati: atqui satisfactio absolutionem consequens, praesumit gratiam illam jam collatam; ergo non confert gratiam sacramentalem.

R. D. M. Per sacramentum omnino jam consummatum posita forma, non datur nisi unica gratia sacramentalis C. secus N. Item, in hoc sacramento non confertur alia gratia, quam remissiva peccati, si totum cum absolutione perficiatur C. si absolutione peracta, adhuc perficiatur integraliter per satisfactionem N. Tunc enim alia adhuc gratia habitualis adjungitur.

Inst. Si satisfactio post absolutionem peracta aliquam gratiam sacramentalem confert; ergo illam in statu peccati exhibens peccaret moraliter, eo quod obicem gratiae poneret.

R. D. Illat. Peccaret mortaliter, loquendo speculative C. practice et moraliter loquendo, peccaret mortaliter N. Quia effectus iste valde est incertus, ac probabiliter etiam negari potest, ideo practice ac moraliter tantum onus nemini est imponendum. Peccare talem venialiter, probabile esse videtur, eo quod recipiat partem sacramenti indigne, et alicui ejus effectui obicem ponat.

247. *Obj. III. cont. 3^{am}. concl.* Satisfactio ante absolutionem praecipua et praestita in statu peccati consequitur suum effectum; ergo etiam ea, quae in statu peccati post absolutionem praestatur.

R. D. Ant. Satisfactio ante absolutionem in statu peccati praestita consequitur suum effectum formalem et proximum C. consequitur suum effectum finalem ac remotum N. Effectus satisfactionis proximus ac formalis est, quod concurrat ad integritatem sacramenti, et impleat obligationem a sacerdote impositam: quem quidem etiam praestat satisfactio post absolutionem in statu peccati exhibita. Confessarius enim non tam modum operis, quam opus ipsum praecipit; quod idem in praecipis aliis apparet: neque enim graviter delinquit, qui in statu peccati sacrificio Missae diebus festis assistit: neque usquam extat evidenter grave praecipuum contritionis aut confessionis ei, qui in medio injuncti jejunii menstrui iterum in peccatum incidisset. Sicut ergo satisfactio ante absolutionem in statu peccati praestita effectum remotum et finem suum, seu remissionem poenae post absolutionem demum assequitur: ita et satisfactio post absolutionem in peccato perfecta reatus remissionem solum obtinet, cum per contritionem, vel per absolutionem reviviscit. Quod quidem verum etiam est, licet opus bonum fiat cum circumstantia aliqua venialiter mala, ut cum ex praescripto jejunans excedat nonnihil in quantitate cibi et potus, aut cum vana gloria id praestet, modo formam servet jejunii: nam actio ejusmodi quoad substantiam bona est ac poena delicti, habetque se tanquam instrumentum, quo Christi satisfactio applicatur. Exemplum nobis praebent baptismus, qui peccaminose susceptus, recedente tamen fictione poenam omnem cum culpa remittit, et confessio ipsa aliaque sacramenta, quae venialiter peccando obita gratiam nihilominus conferunt.

CAPUT VI.

DE INDULGENTIIS.

ARTICULUS I.

DE SUFFRAGIIS.

248. *Nota I.* Haecenus de satisfactionibus propriis poenitentis. Aliae autem species satisfactionis sunt suffragia et indulgentiae: per illa satisfit ex opere operantis, per has ex opere operato. Nomen autem suffragii bifariam sumitur, primo quidem magis ample, pro subsidio, quod sibi fideles mutuo praestant, precationibus praesertim, ad quas hortatur B. Jacobus epist. cap. 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Et S. Paulus c. 15. v. 30. ad Rom. scribit: *Obsecro vos fratres..., ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Jobi etiam ultimo v. 8. ait Deus: *Ite ad servum meum*

Job : Job autem servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam. Veritas hujus suffragii adeo certa est, ut eam ne hæretici quidem in dubium vocent : quanquam preces nihil mortuis prodesse contendant, sed ex errore illo, quo præter cælum et infernum damnatorum, locum tertium negant dari, in quem animæ defunctorum migrent.

De hac suffragii acceptione non disceptabimus, sed de altera pressius sumpta per modum solutionis pro altero, qua tollitur reatus pœnæ illius cui applicatur, aut in quem transfertur satisfactio.

Nota II. Suffragia ista speciatim accepta olim negabat dari Joan. Wiclefus, teste Thoma Waldensi, tom. 3. de Sacramentalib. a cap. 93. ad c. 100., et post eum Lutherani aliique recentiores hæretici, vel quod putent, remissa culpa, nullum pœnæ reatum superesse; vel quod dicant Christum abunde pro omnibus satisfacisse, et consequenter nostra merita et satisfactiones pro reatu proprio aut alieno rejiciant.

Catholici vero hoc suffragii genus admittunt cum conditionibus aliquot, quarum prior exigit, ut uterque, tam is qui tribuit suffragium, quam is qui accipit, sit et justus et viator. Nam justus et viator pro se satisfacere potest; ergo solus id in alterum potest transferre : injustis autem viatoribus non remittitur pœna ante culpam. Beati in cælo non possunt satisfacere amplius pro aliis, sed cum quadam Dei dispensatione animabus purgatorii suffragari, suas eis satisfactiones applicando, quæ in hac vita non eguerunt. Soli ergo viatores justis satisfacere possunt pro justis viatoribus; quibus adhuc accensentur quoad hoc beneficium recipiendum animæ in purgatorio.

Altera conditio est, ut suffragator satisfactiones suas, in justum alterum transferat, eique communicet libere: alioqui satisfactiones sicut cæteræ actiones bonæ, soli satisfaciendi, ut par est, proderunt.

249. *Dico.* Potest justus viator in alterum justum viatorem transferre satisfactiones suas, quæ hic a reatu pœnæ temporalis ex pacto divino condigne et secundum eam, quæ erga Deum esse potest, justitiam liberetur. Hæc thesis est S. Thomæ in 4. d. 20. q. 1. a. 2. q. 3. et Theologorum omnium, quorum potissimam partem recitat et sequitur Suarez disp. 48. sect. 2. n. 4.

Prob. I. Apostolus Coloss. 1. v. 24. scribit : *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Id est, ut explicant S. AUGUSTINUS in Ps. 61. n. 4., GREG. M. in 1. Reg. c. 9., SS. ANSELMUS et THOMAS in loc. cit. Apost. *Offero passiones meas pro Ecclesiæ membris, ut Christi passiones eis fiant in actu secundo utiles.*

Idem Apostolus ad Rom. c. 12. v. 5. ait : *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* et 1. Cor. 12. v. 27. *Vos estis corpus Christi et membra de membro.* Sicut ergo in corpore naturali, ita etiam in mystico membra sibi mutuo operationis fructum communicant, ut explicant S. AUGUSTINUS tract. 32. in Joan. n. 8. et S. CHRYSOSTOMUS hom. 44. in 1. ad Corinth. (opp. t. 10. p. 393. B.) qui ad hoc etiam expendit verba Apostoli 2. Cor. 1. v. 11. *Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, etc.* et colligit, solere Deum aliis propter alios gratificari. Et infra subdit : *Unum corpus omnes sumus, sint membra licet alia aliis illustriora, undique veniam*

ipsis impetrari licet precibus pro ipsis effusis, muneribus datis, consortio eorum, inter quos velut commune corpus referuntur.

Prob. II. Ex usu veteris Ecclesiæ, in qua pastores publicis pœnitentibus aliquid de pœna seu satisfactione debita solebant remittere propter aliorum justorum intercessionem et satisfactiones, ut colligitur ex TERTULLIANI libro ad Martyres, cap. 1., et ex S. CYPRIANI epistola 11. alias L. 3. epist. 15. et epist. 13. et 14. ubi ait (epist. 13.) : *Qui libellos a Martyribus acceperunt, auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt.* Si ergo ministri in persona Christi remittunt et relaxant pœnas, satisfactiones et censuras secundum illud Apostoli 2. Cor. 2. v. 10. *Cui aliquid donastis, et ego, nimirum rogatus a vobis : nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi :* consequens plane est, a Christo quibusdam remitti pœnas peccatorum propter aliorum intercessionem sive satisfactiones. Item si libellis et satisfactionibus Martyrum adjuti pœnitentes veniam peccatorum a Deo donantur, quanto facilius pœnæ remissionem obtinebunt, quod minus est.

Prob. III. Ecclesia illum Symboli articulum, quo *communione sanctorum* credimus, eo sensu semper intellexit, quod fideles sibi mutuo ferre suffragia possint, ita ut alius pro alio solvat pœnam temporalem peccatis remissis debitam. Nam Catechismus Pii V. de sacramento Pœnitentiæ n. 61. *In eo, inquit, summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus possit pro alio satisfacere.* Et de modo hujus satisfactionis inquit : *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere; quare fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Nec vero de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo Sanctorum communionem profiteretur.*

Prob. IV. In satisfactionibus, quas fideles justis pro se mutuo præstant, est omnimoda æqualitas rei ad rem; nam Caius tantumdem præstat pro Titio, quantum hic pro se ipse præstare debuisset : neque deest pactum Dei ac promissio, ut ex S. Scriptura et doctrina Ecclesiæ modo intelleximus; ergo nihil deficit, quo minus ejusmodi satisfactio sit condigna, et ex ea, quæ Deum inter et hominem intercedit, justitia.

Conf. Ex residuo Sanctorum thesauro Ecclesia tanquam ipsorum hæres satisfactiones fidelibus dispensat; ergo Sancti dum vivunt, multo magis possunt aliis communicare suas satisfactiones saltem aliquas, etiam ex opere operato, quarum sunt domini.

250. *Obj. I.* Testimonia Scripturæ, quæ in hanc rem adduci solent, non evidentem convincunt, posse unum fidelem alteri suffragium ferre, pro illo satisfaciendo et solvendo pœnam debitam; ergo commodius explicantur de intercessione per modum impetrationis et meriti de congruo, ita ut ad preces alterius Deus alteri pœnas gratis ac immediate condonet, aut huic auxilium præbeat gratiæ, cum quo bene operando, pœnæ remissionem merito proprio obtineat.

R. N. *Cons.* Hanc recentiorum quorundam Theologorum opinionem Suaresius censet esse falsam et valde novam in Theologia; ideoque omnino vitandam in materia adeo gravi, eo quod omnibus Theologis et sensui communi adversetur. Nam 1º. si testimonia Scripturæ indifferenter secun-

dum se loqui videntur, omnem communicationem possibilem et convenientem includunt, quem ipsis Ecclesiae sensus et perpetua traditio, fidesima voluntatis divinae interpretatio, attribuit. 2^o. Ut Catechismus Rom. n. 52. recte notavit, satisfacere pro altero est debitum pro eo solvere, non autem gratuitam poenae remissionem ipsi exorare: quod multo efficacius nobis praestant Sancti in caelo, qui tamen satisfacere pro nemine amplius possunt. Imo in sensu isto improprio, ad satisfaciendum pro alio, ne status quidem iustitiae requireretur: impetratio enim non tam in postulantis iustitia propria, quam in concedentis bonitate ac misericordia innifitur.

251. *Obj. II.* Debitum poenae est debitum personale; ergo non potest per alium solvi.

R. *D. Ant.* Est debitum personale hoc sensu, quod ex se talem personam constituat debitricem, et ab ea debitum iuste possit exigi. *C.* quasi necessario solvendum sit per actionem vel passionem solam talis personae, ac repugnet legi iustitiae, compensari poenam unius pro altero. *N.* Alioqui nec satisfactio Christi erit aliud quam impetratio: siquidem *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Is. 53. v. 4.

Inst. 1. Hoc sufficit, ut aeternae Christi censeantur esse propria satisfactio pro nobis, quia licet haec non fuerit praestita a nostra ipsorum persona, fuit tamen exhibita a Christo capite nostro. Igitur cum nullus homo sit alterius caput morale quoad hunc effectum, bona opera pro aliis oblata erunt tantum impetrationes.

R. *N. Cons.* Sicut actiones et aeternae a Christo pro nobis oblatae, ideo satisfactioes pro nobis evaserunt, quia Christus a Deo caput morale omnium hominum fuit ordinatus: ita, quia ex eadem Dei ordinatione *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra.* Rom. 12. v. 4., cum proportione quadam alterius pro altero suscepta et oblata satisfactio sufficit. Ut enim ex divina institutione se habet communicatio capitis ad membra, ita et communicatio membrorum inter se in iis, in quibus commode fieri potest. Quorum unum est haec satisfactio.

Inst. 2. Debitum poenae contrahi non potest per opus alienum; ergo neque ejus solutio per opus alienum potest fieri.

R. *N. Cons.* Reatus sequitur culpam, quae cum sit voluntaria aversio a Deo et conversio ad creaturam, aliena voluntate contrahi nequit: solutio autem poenae, cum sit bonum opus ac laboriosum, ab alio utique praestari potest, modo is, in quo reatus haeret, consenserit; ad quod sufficit voluntas implicita ac generalis, qua quilibet a malo, quantum in ipso est, liberari desiderat.

Inst. 3. Debitum relictum a peccati actu ad se disponendum pro obtinenda remissione culpae ita personale est, ut non possit per alium solvi; ergo idem dicendum est de debito relicto ad se disponendum pro remissione poenae.

R. *N. Cons.* Remissio culpae, in adultis ex lege ordinaria, cum ad intrinsicam rectitudinem et sanctificationem hominis pertineat, non fit sine intrinseca et proportionata dispositione convertendi et venia donandi; at remissio poenae solius, quod hominem non faciat meliorem aut magis stu-

diosum, fieri per actionem extrinsecam et satisfactionem communicatam potest.

Inst. 4. Meritum gratiae et gloriae ita est personale opus, ut nemo alteri id praestare possit; ergo cum reatus poenae etiam ab actione propria oriatur, aliena satisfactione tolli non poterit.

R. *N. Cons.* Augmentum gratiae et gloriae, quod acquiritur meritis, cum praemium virtutis sit, et haec actibus propriis acquiratur, nemo alii illud mereri potest: remissio vero poenae convenienter obtingit ex sola liberalitate ejus, qui potest donare; aliquam autem liberalitatem Dei intercedere, quando alius pro alio satisfacit, nuper jam diximus. Neque par est ratio inter dignitatem praemii, et reatum poenae: nam ut dignus quis sit praemio, debet in eo actio bona et sanctitas habitualiter saltem adhuc perseverare: at extincto jam ac dimisso peccato manet adhuc debitum poenae in homine iusto; igitur per solam poenae solutionem, absque alia intrinseca poenitentis dispositione vel majore sanctificatione reatus ille demi potest.

252. *Obj. III.* Secundum doctrinam Apostoli ad Gal. 6. v. 5. *Unusquisque onus suum portabit.* et 2. Cor. 5. v. 10. referet *propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* et 1. Cor. 3. v. 8. *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem,* quod idem Ps. 61. v. ult. habetur. Atqui his testimoniis adversatur thesis nostra: nam justus qui aliis satisfactiones suas communicavit, dum ipse postea pro residuo suorum reatum poenas daturus est, non recipiet secundum suum laborem, ac vicissim alter qui per satisfactiones alienas impunis evadit, non portabit onus suum, nec referet malum prout gessit; ergo.

R. *N. Assumpt.* Sensus dictorum testimoniorum est, quod nullus contaminetur peccatis alienis, neque reus poenae evadat, nisi ex proprio peccato, prout exponit S. AUGUSTINUS serm. 22. (al. 164.) de verb. Apostoli: ac potissimum pronuntiatur de judicio extremo, ubi nullus expiationi locus est; sed quisque ad poenam in propria persona sustinendam condemnabitur, nisi ei tempore congruo atque in eo statu subventum fuerit, in quo capax adhuc talis subsidii erat. Quae quidem conditio ex aliis B. Pauli verbis intelligitur, cap. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate:* quod S. AUGUSTINUS, L. 2. de consensu Evang. c. 30. n. 72. *de oneribus participandae infirmitatis* exposuit.

Ad prob. Assumpt. R. quod, si is, qui alii satisfactiones suas cessit, cum adhuc ipse luendum quid habuerit, non fruatur propriis satisfactionibus, id ex arbitrio ipsius libero accidat, qui se ex caritate aut misericordia satisfactionis suae fructu privat: et quod, si alter, pro quo satisfit, impunis abeat, hoc ipsum alieno beneficio debeat. Nam cum satisfactio fiat solvendo tantum, quantum debetur; non potest eadem sufficere ad solvenda duo debita aequalia, proprium et alienum: quapropter minor in singulis redditur, quae offertur pro multis. Ita Scotus quodlib. 20., S. Antoninus et Theologi communiter cum S. Thoma d. 45. q. 2. a. 1. quaestiu. 4. et d. 20. q. 1. a. 2. quaestiu. 3. Secus in impetratione contingit: nam quia in hac non spectatur aequalitas vel condignitas operis aut operantis, sed sola bonitas ac liberalitas donantis; impetrans alii omnes suas satisfactiones sibi retinet. Sive autem quis cessione suarum satisfactionum, sive per impetra-

tionem prosit aliis, adeo de meritis propriis nihil illi deperit, ut ea adhuc ob studium caritatis et misericordiae augeantur. Satisfactio enim pro alio et meritum pro se simul in eodem opere esse nihil repugnat: eo quod diversarum sint rationum, ordinentur ad diversos effectus, fundenturque in principiis seu proprietatibus actuum diversis, scilicet in bonitate et reatu poenae.

253. *Obj. IV.* Animae in purgatorio detentae pertinent ad aliud forum; ergo satisfactio per suffragia pro ipsis oblata est mera impetratio, qua Deum precamur, ut ipsis liberaliter reatum condonet: nam si Ecclesia sciret, esse solutionem condignam ex justitia effectum infallibiliter habituram, non rogaret Deum, ut suffragia pro defunctis acceptet.

R. N. Cons. Sufficit, illas adhuc pertinere ad idem corpus Ecclesiae, et auxiliis alienis indigere: quapropter licet judicari a nobis ultra non possint, possunt tamen adhuc juvari satisfactionibus nostris per modum suffragii, non vero ad modum sententiae. Preces Ecclesiae eatenus solum satisfactoriae sunt, quatenus poenales: nam per solam impetrationem nemo fidelium animas in purgatorio suis reatibus, sicut nec se ipsum immediate potest eximere. Quando autem Ecclesia Deum precatur, ut preces et suffragia pro defunctis admittat, solum poscit inspirari fidelibus desideria satisfaciendi pro eis, et eisdem applicari residuas in thesauro suo satisfactiones.

Inst. Satisfactiones hujus vitae non habent proportionem cum poenis purgatorii: haec enim longe alius ordinis sunt et rationis; ergo ad has expiandas illae condignae non sunt.

R. D. Ant. Satisfactiones hujus vitae cum poenis purgatorii non habent proportionem physicam *C.* moralem *N.* Opus liberum in gratia praestitum ab homine viatore aequivalet poenis acerbioribus vitae alterius. Fructum tamen sacramenti, aut indulgentias sibi soli concessas transferre in alium nemo potest.

254. *Obj. V.* Preces et aliae piaae actiones, quas Ecclesia per ministros peccatores pro animabus in purgatorio exsolvit, hisce prosunt; ergo etiam peccatoribus prosunt satisfactiones communicatae.

R. D. Ant. Preces et psalmodiae ex opere operantis ab Ecclesia per os ministrorum peccatorum Deo exhibitae prosunt tantum per modum impetrationis, quae gratiam in subjecto non exigit *C.* prosunt per modum satisfactionis *N. Antec. et Cons.* Solius Christi opera in sacramentis et sacrificio applicata suspenduntur peccatoribus, et iis justificatis reviviscunt.

255. *Obj. VI.* Ordinum Religiosorum superiores solent, quandoque hominibus extraneis communionem omnium honorum suae familiae impertiri; ergo non opus est, ut suffragator libere satisfactiones proprias in alium transmittat.

R. N. Cons. Religiosi singuli sciunt morem illum et probant: id quod sufficit, ut illorum superiores tanquam Patres ac dispensatores universales justis ex causis possint in communionem satisfactionum et impetrationum sui ordinis aliosmittere.

ARTICULUS II.

INDULGENTIARUM VERITAS OSTENDITUR.

256. *Nota.* Indulgentia in sensu theologico accepta est remissio reatus poenae infallibiliter facta ex opere operato per legitimam dispensationem thesauri Ecclesiae. Dicitur 1°. *remissio*, quod vocabulum generale est, complectens actum geminae justificationis, quo indulgentiae concedi solent: nam viventibus tribuuntur per sententiam absolutionis; defunctis vero non per sententiam, sed solum exhibitione pretii ex thesauro Ecclesiae, eo quod non sint amplius subditi. Sicut princeps eum, quem in sua potestate habet, e carcere eximit tam auctoritate sua, quam pretio persoluto: quem autem in potestate non habet, tantum ex aëario publico pretium solvendo liberat; ubi solum in aëarium publicum jurisdictionem exercet. Dicitur 2°. *reatus poenae*: neque enim culpa mortalis sine sacramento remitti ab Ecclesia potest; ergo per indulgentias relaxantur solum reatus poenae, non ecclesiasticae tantum, sed etiam debitae in purgatorio: alias defunctis nihil prodesset, e contra vivis forent noxiae, quos a poenitentis ecclesiasticis avertendo ad supplicia graviora purgatorii differrent. At neque ad tollendum poenas ecclesiasticas opus foret expendere thesaurum Ecclesiae, cum in poenitentiae sacramento tolli possent. 3°. Dicitur, *ex opere operato*: nimirum vi operis, ut a Christo institutum est, non vero ut ex honestate, ex merito aut satisfactione operantis proficiscitur: quo quidem in puncto indulgentiae a suffragiis differunt. 4°. *Per legitimam dispensationem*: ad quam quidem non opus est potestate ordinis, sed sufficit potestas jurisdictionis; nam et Cardinales diaconi largiuntur indulgentias. 5°. *Thesauri Ecclesiae*: ita habent summii Pontifices mox laudandi: nam justitia Dei exigit, ut nihil sine solutione debita remittatur. Nihilominus gratis fit remissio ista: quandoquidem Deus dat, unde solvamus, nempe satisfactiones Christi saltem inadæquate ad solutionem quamlibet concurrentes, sine quibus opus operatum dari nullum potest.

Potestatem dandi indulgentias olim negarunt Waldenses, Joannes Wicleffus, Joannes Hus et Hieronymus Pragensis, ut constat ex Concilio Constantiensi Sess. 8. et 19.

Item Petrus Oxumensis, de quo supra meminimus, inter errores alios docuit, Papam non posse alicui vivo remittere purgatorium. Præ omnibus autem hisce se extulit Martinus Lutherus an. 1517. indulgentias dicitans pias Ecclesiae fraudes, aut potius imposturas Pontificum fidelibus noxias. Ad quam hæresin ipsum non tam veritatis studium, quam invidia impulit, quod provinciam promulgandi indulgentias a Leone X. concessas Albertus Cardinalis Brandenburgicus Archiepiscopus Magdeburgensis et Moguntinus Dominicanis detulerit. Luthero quoad hunc errorem adhæserunt Zwinglius, Calvinus, et cæteri Novatores.

257. *Dico.* Datur in Ecclesia potestas concedendi indulgentias, quæ remittantur fidelibus poenae pro peccatis remissis debitae apud Deum. Thesis ista est de fide Catholica.